

**www.e-rara.ch**

**Monumenta Anecdota Historiam Germaniæ Illustrantia**

**Zapf, Georg W.**

**Augustæ Vindel., MDCCLXXXV**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Ri 224 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-66465>

Saeculum monasterii Rhenaugiensis quartum.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



Quæ propriis rebus, summoque labore para-  
 vit.  
 Usibus Ecclesiæ pietate sua commoda-  
 Scilicet has Glossas stili fulgore niten-  
 tes.  
 Ysidorum, Rabanum, Pateriumque (m) decen-  
 Et geminos Calices, quorum prior aureus ex-  
 stat.  
 Alter ab argento spectacula lucida præ-  
 Hocque sibi Fratres pactum super his tribueb-  
 ant.  
 Hæc ut ab Ecclesia nulla ratione reced-  
 Id sperans lucri sibi pro meritis numera-  
 ri.  
 Post obitum sacra Fratrum prece posse juva-  
 Vos ergo Fratres mutux date jus pieta-  
 tis.  
 Solvite commissum, precibusque juvate bea-

**SÆCULUM**  
**MONASTERII RHENAUGIENSIS**  
**QUARTUM.**

**A**d initium hujus Sæculi præsidente *Gerungo* Abbate, adverfa simul ac pro-  
 spera Monasterio nostro evenere. Adverfa quidem per diffidia Sacerdotium  
 inter & Imperium exorta; prospera autem, per Hirsaugiensem Monasticæ Di-  
 sciplinæ restaurationem, quæ & Rhenaugiæ novum addidit incrementum.  
 Cum igitur inter utrumque Regem, Henricum, inquam, & Rudolphum, æquali  
 fere marte certatum esset, isto in Saxoniam reverso, Henricus repente recolle-  
 ctis viribus, Alemanniam præda, ferro, & igne circa festum omnium Sancto-  
 rum vastavit, terram videlicet catholicorum Ducum Bertoldi atque Welfonis &  
 aliorum S. Petri Fidelium penitus dissipare aggressus. Tunc quoque, ut pro-  
 sequitur Bertoldus Presbyter Constantiensis (a), parum minus quam centum  
 Ecclesiæ in illa expeditione violatæ sunt. Has inter Monasterium nostrum fuit;  
 nam, ut in quadam Charta *Henricus V.* palam profitetur, cum propter dissen-  
 sionem, tempore Patris sui exortam, multa *inordinata, & injusta* pene ubique  
 fierent, de Monasterio quoque *Renaugia* nomine, tempore *Gerungi* Abbatis Be-  
 neficia

(m) Paterii Opus in S. Scripturam habetur in Codice Msc. Sæculi XI. Einsidl. impressum  
 inter Opera S. Gregorii M. Tom. VI.

(a) Continuator Chronici Hermanni hoc anno Editionis Urstifii pag. 349.

neficia plurima distraeta & ablata sunt; eo quod Advocatus, nempe *Udalricus Comes de Lenzburg* intrusus, terminos sui juris transgressus, secundos Advocos substituisset, atque Placitum contra antiquam loci consuetudinem habuisset. Anno sequenti 1079. Henricus, deposito Rudolpho, cujus uxor Adelhaidis Henrici soror, hoc anno extincta, ad S. Blasium sepulta jacet (b), Ducatum Alemanniæ contulit Friderico de Staufen. Hic tamen totius pristini Ducatus possessionem non est assecutus; sed Suevia sola retenta, Turgoviam, Herciniam, Brisgoviam, cum advocatia Turegi, cedere cogitur Bertoldo Zaringiæ Duci (c), qui unicum filiam Rudolphi Regis & Reinfeldæ Comitis, Agnetem nomine, duxerat. Occubuit porro *Rudolphus* piæ memoriæ Rex, ut loquitur Bertoldus Presbyter, in conflictu contra Henricum in Saxonia anno 1080. Idibus Octob. & ut alter Machabæus ad Dominum migrasse non dubitatur. Ventre lancea confossus, manuque truncatus Merseburgi honorifice Victor sepultus fuit; cujus dexteram incorruptam ostendi, testatur Illustris de Ludevic. (d) obiisse quoque notatur hoc anno in Necrologio Murenfi die 27. Maji *Richenza* Radebotonis Cleggovix quondam Comitis filia, uxor Udalrici de Lenzburg; cujus intuitu hic ipse Udalricus Advocatiæ Rhenaugiensi inhiabat.

Eodem anno Burchardus Comes de Nellenburg, filius Eberhardi, Monasterium suum Schaffhusianum Venerabili Wilhelmo Abbati Hirsaugiensi, in disciplina Monastica instituendum, tradidit, abdicato jure Advocatiæ, desuperque confirmatione accepta a summo Pont. Gregorio VII. (e) Quo tempore, cum præfens esset Schaffhusii Beatus Wilhelmus (f), credibile est, eum Rhenaugiam, unius horæ intervallo distantem, divertisse; quippe cum hoc Monasterio Fraternitatis societatem inierat (g), ut quoties defunctus aliquis denunciatus fuisset, constitutæ pro eo mox fierent orationes, Vigiliæ, Missæ, Disciplinæ & Eleemosinæ. Arctissimum erat hujus Confoederationis vinculum; adeo equidem, ut, quotiescunque ad alterutrum Monasterium aliquis ex confratribus declinasset, non alienus, sed domesticus haberetur. Constituit *S. Wilhelmus Schaffhusii* coloniam suorum Monachorum, quibus præfecit *Sigefridum* Abbatem,

(b) Chronicon breve S. Blasii præfixum Codici Murenfi Reginonis.

(c) Tschudius in Chron. ad annum 1081.

(d) Imaginem & manum æri incisam refert in præfat. T. IV. Reliquiarum &c.

(e) Mabill. hoc anno.

(f) Charta ex Chronico Msc. pag. mihi 78.

(g) Trithem. in Chron. Hirsaug. pag. 296.



tem, Virum prudentissimum; qui ampliato Coenobiō cum magnifica Basilica, alterum adjecit S. Agnetis dictum, in qua *Ita* de Kirchberg, Eberhardi Comitis de Nellenburg vidua, cum Monialibus piissime vixit.

Inter hæc flagrabant bella in Turgovia; hinc Welphone atque Bertoldo Ducibus ex ditione S. Galli prædas agentibus: inde vero Udalrico III. Abbate S. Galli, ac postmodum Patriarcha Aquilejensi, fortiter reluctante, & inter alia ditissimi Comitis Hartmanni (h) castellum Chyburg & *Hittingen* ferro & igne vastante (i). Verum cum Rex Henricus Romæ moraretur, ab Alemannis *Hermannus* de Luzilinburg loco Rudolphi Rex proclamatur; qui sequenti anno 1082. Nativitatem Domini in Suevia cum Principibus Regni honorifice celebravit. Anno 1084. Legatus in Germaniam Otto Ostiensis Episcopus, suadente Duce Welphone, *Gebhardum* hujus nominis tertium, Bertoldi Ducis de Zaringen fratrem, Monachum Hirsaugiensem, contra Ottonem ab Henrico intrusum, sanctæ Constantiensi Ecclesiæ, jam dudum viduatæ, Catholicum Pastorem constituit. Hac occasione Bertoldus Constantiensis, qui hæc scribit, se Presbyterum ac Pœnitentiarium ordinatum fuisse, narrat, suamque historiam cum anno 1086. concludit, quam anno emortuali sui Magistri Hermanni Contracti 1054. inchoaverat, prout ipse eodem loco fatetur. Deinceps prosequutus est historiam *Bernoldus* Monachus S. Blasii, qui mortem Bertoldi Constantiensis describit ad annum 1088. suam vero scriptionem anno 1086. incipit ab Electione Utonis Kiburgensis Abbatis S. Blasii. Cæterum cum *Udalricus de Lenzburg*, primus ejus familiæ Pseudo-Advocatus Rhenaugiæ obiisset; ejus hæredes anno 1085. Wernerum Comitem de Habsburg avunculum suum armis infestarunt, augmentum hæreditatis ob Richenzam matrem suam extorquere cupientes.

Disciplina Monastica interea eximium sumpsit incrementum. Jam enim anno 1077. S. Bernardus Abbas Massiliensis in sua legatione per Germaniam monuerat B. *Wilhelmum* Hirsaugiæ, ut Cluniacensium consuetudines adscisceret, Quapropter Wilhelmus sex ex Fratribus suis binos & binos successive Cluniacum destinavit, ut ritus & mores ejus Congregationis experirentur (k). Quin imo, cum anno 1085. *Sanctus Udalricus* ex nobili Germanorum prosapia natus, ipsique a puero notus, ob negotia Cluniaco in Germaniam missus esset, & per annum

(h) Burchardus de Casibus S. Galli apud Goldast. pag. 68.

(i) Tschudius ad a. 1080. hodie Ittingen Carthusia.

(k) S. Wilhelmus in præfatione consuetudinum. Mabill. Tom. V. Annal. p. 220. - 222.

annum ferme in Hirsaugiensi Monasterio detineretur, rogavit eum B. Wilhelmus, ut ritus Cluniacenses colligeret, ipsique descriptos mitteret. Conscripserat eas jam antea Bernardus quidam Monachus Cluniacensis; sed Udalricus eas meliori ordine digessit, fufius explanavit, & in duos libros divisit, quibus demum tertium de Officijs adjecit. Monuit porro S. Hugo Abbas Cluniacensis Wilhelmum; quatenus has consuetudines ita imponeret Fratribus suis observandas, ut tamen eas pro regionis, aliarumque circumstantiarum ratione temperaret. Unde tandem ipse B. Wilhelmus eosdem ritus duobus libris complexus est; in quorum altero continentur pleraque, quæ Udalricus in tertio libro tractaverat: prout in Codice Rhenaugiensi suppari videre est, qui librum tertium Udalrici continet, & ferme eosdem titulos præfert, quos Wilhelmus in secundo complectitur. Porro S. Udalricus obiit anno 1133. postquam Cellæ in Brisgovia præfuisse, quæ Monasterio S. Petri unita est (l).

Ab eodem divæ memoriæ Hirsaugiensi Abbate Gebhardus Constantiensis Episcopus, ut scribitur in Codice suppari de casibus Petri Domus (m), eximiis precibus impetravit, ut venerabilem Virum Theodoricum Monasterio S. Gregorii, quod dicitur Domus Petri dirigeret, quatenus eidem præesset, & Regularem vitam inibi juxta normam sui Monasterii institueret. Habebat autem idem Venerabilis Pater Theodoricus tunc temporis egregios viros valde Religiosos, optimæ formæ & doctrinæ sub cura sua, in quibus erat Meinradus pridem Abbas, *Bernardus Scholasticus* & *Cuno* (n). Hi omnes ex antiquis Fratribus, scilicet & *Sigiherus Scholasticus*, & *Eppo*, atque *Gebhardus* avus meus, ut inquit Scriptor Anonymus. *Cuno*, de quo mentio hic occurrit, mox factus est Abbas Rhenaugiensis. Interim Beatus Wilhelmus iterum præfens Schaffhusii anno 1087. solemnem traditionem Villæ Schaffhusianæ recepit a Comite *Burchardo*, quod liberis careret, & Ita Mater religiosam vitam esset professâ (o). Idque factum Schaffhusii in præsentia Gebhardi Episcopi Constantiensis, *Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis*, *Sigefridi Abbatis S. Salvatoris Schaffhusii*, *Theodorici Abbatis Petri Domus*, *Ducis Bertoldi*, & *Gerungi Comitis Cleggoviæ*, qui in aliis

Chartis

- (l) Ejus cultum insigniter promovit Reverendissimus Abbas Philippus Jacobus.  
 (m) Ex authographo pag. 60. & 62.  
 (n) Bernardi Scholastici obitum describit Bernoldus in Chronico ad annum 1088.  
 (o) Ex Charta Archivi Schaffhusiani apud Rûger Chron. Mfc.



Chartis Comes Stillingæ vocatur, utroque Comitatu fortasse tunc nondum diviso. Postmodum sæpe laudatus Burchardus Comes Nellenburgi Advocatiam a Sigefrido Abbate sponte delatam unacum Villa Hemmental, & monte Rando, libere Monasterio resignavit, in præsentia Ducum Welfi, & Henrici ejus filii, & Bertoldi Zaringensis, *Alvici quoque Comitis de Sultz, Udalrici de Mameren*, & multorum aliorum; Charta vero scripta fuit per Gisbertum Monachum S. Salvatoris.

Anno eodem 1088. ex Abbate Cassinensi Victor Papa creatus, post quatuor menses obiit; pro quo electus est Urbanus Secundus contra Guibertum, qui se Clementem tertium dicebat. Hermannus quoque Rex Catholicus viam universæ carnis ingressus est. Anno 1089. Nobilissima Dux Mathildis, inquit Bernoldus (p), filia Bonifacii Marchionis, sed vidua Godefridi Ducis Lotharingæ, Welfoni Duci, filio Welfonis Ducis, pro Romani Pontificis obedientia, conjugio copulatur. Dominus vero Papa Urbanus decretalem Epistolam Venerabili Gebehardo Episcopo Constantiensi direxit, ut in tota Alemannia, Bajocaria, Saxonia, & aliis vicinis regionibus vicem suam gereret, ordinationes improbandas improbaret, & roborandas roboraret.

Tandem *Gerungus* Abbas noster finem vitæ ac diuturni sui regiminis fecit die octava Octobris, qua inscriptus est in coevis Kalendaris nostris. In tabulis vero defunctorum Monasterii S. Galli scribitur die nona ejusdem Mensis: *Kerungus Abbas de Renaugia*. Fortasse quod ea die significatus fuerit obitus, aut quod pridie post vespertas obierit, quod tempus veteres Monachi ad diem sequentem computabant. Cæterum diversis Characteribus a diversis nomen hujus Abbatis exprimitur; scribitur enim & Cherungus, Gervicus, & Beringerus.

## CHUNO,

ABBAS XVII.

Circa idem tempus Gerungo substitutus est Rhenaugiæ Abbas a Gebhardo Episcopo Constantiensi autoritate Apostolica *Chuno* Monachus Petri Domus, sed antea Hirsaugiensis; sub quo Monasterii Hirsaugiensis ritus Rhenaugiæ introducti fuerunt. Quamvis id ipsum Religiosissimo Theodorico Abbati Petri Domus Bucelinus

---

(p) Omnia ex Bernoldo S. Blasii Msc. Murenfi, & apud Urstifium pag. 362.

celinus stilo sibi familiari attribuat (q) Constantiæ magna ab Petrusio gloria sub Theodorico Abbate, ita ut resuscitato orientem versus primævo spiritus fervore, in vetustissimo Brigantii Cœnobio per Meinradum, occidentem versus S. Fintani restitutis exemplis in Monasterio Rhenaugiensi per Chunonem Præfulem e Petrusio similiter postulatum; ita ut Theodoricus utrobique mereretur alter & Majoris Augiæ & Rhenaugiæ, a Majoribus suis conditæ, Fundator, Sanctorum Udalrici utriusque consanguinei sui (fuit enim & ipse Kyburgi Comes) felicissimus in vita sua imitator. Verum certiora promamus ex vetustissimo Codice Petri Domus (r), in quo sequentia leguntur: „Erat alius quidam Presbyter Cuno „nomine in ipso Monasterio, quem etiam antea nominavimus, Vir inquam formosus valde ex prioribus Monachis, qui etiam *Rinaugiensis* Monasterii regimen „promeruit, illuc quippe in Abbatem assumptus fuerat.“

Chuno itaque constitutiones Hirsaugiensium ex consuetudinibus Cluniacensibus desumptos Monasterio nostro plenius introduxit, prout ipse in Petri Domo & Hirsaugiensi Monasterio didicerat. Testatur id Trithemius (s), ubi inter Monasteria a Hirsaugiensibus reformata Rhenaugiam enumerat. Verum id multo luculentius demonstrant monumenta nostra, in quibus dictæ constitutiones exhibentur. Exstat quoque Liber Beati Udalrici de obedientiis eodem tempore descriptus, ad quem se refert Directorium Disciplinæ nostræ Rhenaugiensis ejusdem ætatis. Quæ cum convenient cum aliis editis (t), ea alibi legenda relinquimus. Advertimus duntaxat, nunc demum apud nostros mentionem *Prioris & Conversorum* Laicorum occurrere, quæ nomina vix ultra sæculum XI. & Cluniacensium, Fructuariacensiumque, seu Farvensium institutas consuetudines produci poterunt. Qui Disciplinæ in Conventibus invigilabant, antehac *Præpositi ac Decani* juxta Regulam S. Benedicti vocabantur. Dabantur quoque *Fratres Illitterati*: at hi ex Benefactoribus erant, qui Monachorum vitam imitantes, in Monasteriis alebantur, sed plane distincti ab illis erant, qui servitiis duntaxat ac laboribus deputabantur. Horum statuta a Trithemio descripta (u) conveniunt cum illis, quæ hodie a Conversis nostris observantur, quos tunc

X x 2

jam

(q) In Chron. Constant. ad an. 1100.

(r) Mfc. cit.

(s) In Chron. Hirsaug. pag. 295.

(t) Dache ius Tom. I. Spicilegii. Marquardus Herrgott in Veter. Discip. Monast. excerpta ex Codicibus nostris inseruit, Parisiis 1726.

(u) Trithem in Chron. Hirsaug. pag. 66.



jam *Barbatos* vocabant, quod barbam radere prohiberentur; nam reliqui duodecies circiter per annum ante præcipua Festa mentum ac summum verticem sibi mutuo forfice tondebant. Invaluit hoc ævo *Conversorum* institutum magno numero ubique, quod perutiles ad opera externa haberentur; unde B. Wilhelmus eorum manibus novum Monasterium Hirsaugiæ ædificavit, quod paulo post etiam contigit Rhenaugiæ. Nomina horum, quæ sub finem undecimi & ad initium duodecimi sæculi Necrologia nostra conservarunt, sunt quatuor supra quadraginta, quibus adduntur notæ C V. N. C. id est *Conversi nostræ Congregationis*.

Anno nonagesimo primo supra Millesimum *Wilhelmus* piæ memoriæ Hirsaugiensis Abbas, in causa S. Petri ferventissimus, & in Monastica Religione studiosissimus, utpote multorum Pater Monasteriorum, III. Nonas Julii migravit ad Dominum. Eadem omnino die, iisdemque pene verbis, quibus obitum Beati Viri refert Bernoldus de S. Blasio, notatur etiam in antiquissimo Necrologio nostro, quamvis eundem perpetuo pridie ponat Trithemius (w), quæ forte conciliari possunt eo modo, quem supra in morte Gerungi Abbatis adhibuimus. Laudat porro idem Scriptor B. Wilhelmum ex relictis quoque præclari ingenii monumentis, quibus se Philosophum ac Mathematicum insignem ostendit; neque Litterarum studia in suis Monasteriis neglecta fuisse, constat, licet multiplicatis Divinorum officiorum laboribus tempori ad studia necessario nonnihil detractum fuisse, negari haud possit (x).

Anno Nonagesimo secundo in S. Blasio dedicata est Ecclesia S. Nicolai, cœptumque novum Monasterium; nam Dominus adeo illum locum exaltavit, ut scribit Auctor brevis Chronici ejusdem Monasterii (y), totque illuc ad conversionem venire fecit, ut necessario ampliora ædificia instituire debuerint. Qua ætate Illustria Asceteria in Ducatu Sueviæ florere cœperunt. *Zwifaltense* (z) a Cunone Comite de Wulfelingen seu Anhalm fundatum; & Bürense seu *Blaubeiren*, quod Palatinos Tubingenses Fundatores agnoscit (a); nec non *Alberspalcense*,

(w) Ibidem pag. 293. & 296.

(x) Videatur Herrgott in præfatione Veteris Vitæ Monasticæ.

(y) Ex Codice Murenfi & Engelbergenfi.

(z) Bernoldus initia insignis hujus Monasterii ponit ad hunc annum, Sulger vero in *Anal. Zwifalt.* melius ad an. 1089.

(a) Trithem. in *Chron. Hirsang.* pag. 268.



*cenſe*, cujus Fundatores Albertus de Zollerem, & *Aluicus de Sultz* Comites; in quæ Monasteria coloniæ ex Hirſaugienſi inductæ fuerunt; ſicut & anno 1093. in Monasterium *S. Petri*, quod Dux Bertoldus II. de Zaringen a fundamentis extruxit, Abbas vero Sigefridus Scaffhuſienſis ſacris Reliquiis ditavit. Ex Monasterio *S. Blaſii* incolas obtinuerunt *Gottwicenſe* in Auſtria Monasterium; in Suevia vero Wiblingenſe, & Ochſenhuſanum (b), quem locum, & quæ ad illum pertinent, Viri Nobiles Conradus & Adalbertus de Wolfhartswendi (c) ad *S. Blaſium* tradiderunt, haud ſecus ac pridem Cella Alba a Viro Nobili Sigemaro tradita fuerat Rhenaugiæ. Eodem anno Manegoldus de Lutembach Monasterium Canonicorum Regularium apud Marbach Alſatiæ conſtruere cœpit, de quo recurret mentio anno 1242. Gebhardus vero Episcopus Conſtantiæ magnam Synodum cum Abbatibus & Clericis innumerabilibus, & cum Ducibus Welfone & Bertoldo, & reliquis Alemanniæ Principibus celebravit, ibique multa, quæ corrigenda erant, correxit. Anno 1096. piæ memoriæ Sigefridus Abbas Scaffhuſienſis obiit, cui Gerhardus natione Italus ſucceſſit, poſt biennium tamen abdicato munere cum Chriſtianorum exercitu authoritate Urbani Papæ Jerofolymam petiit, & ſepulchrum Domini, teſte Bernoldo, cuſtodien- dum obtinuit, imo & poſtmodum Episcopus Cæſarienſis effectus eſt (d).

Verum Rhenaugiæ infauſtam Abbatis Chunionis fortem ex Codice de caſibus Petri Domus referre cogimur (e). „Quadam enim die contra ſervum ita commotus, cum eum peſſulo incaute percuſiſſet, idem homo ex illo icſtu inſirmari cœpit, & vitam finivit. Ea pro cauſa non ſolum Præſbyterii honore, ſed & regiminis privatus dignitate, ipſum locum reliquit, & in provinciam, quæ vocatur Riez, abiit.“ Caſus iſte in collectione Canonum Ivonis deſcribitur (f), „quem Episcopus ad ſummum Pontificem detulit, reſcripto accepto: poſſe ex diſpenſatione in ordine ſuo permanere, qui caſu homicidium perpetravit. Videtur plane reſpexiſſe Rhenaugiensem Abbatem, & Episcopum Gebhardum Urbano II. adeo familiarem (g), a quo & ipſe Ivo ordinationem acceperat. Aſt

X x 3

Chuno

(b) Ex Bernoldo *S. Blaſii*, qui Ochſenhuſanum vocat Monasterium *S. Georgii*.

(c) De hoc loco vide ſupra an. 934.

(d) Chronicon Scaff. Mfc.

(e) Pag. 65.

(f) Can. Clerico. I. Diſtinct.

(g) In editis Ivonis Collectionibus vocatur Episcopus Nerbonenſis Gwarnerius, cujus nomen cum in Catalogo illorum Episcoporum deſideretur, viri eruditi potius Gebhardum Conſtantiensem legendum cenſent, ut Hottinger Hiſtor. Eccleſiaſt. T. I. p. 561.



*Chuno* non expectata Papæ responsione, cum per diversa loca peregrinatus esset, ubi a quibusdam Pontificio honore exceptus fuerat, tandem ad Monasterium suum pristinum, hoc est, Domum Petri, rediit, & se magisterio Venerabilis Theodorici Abbatis subdidit. Restitutus subinde juxta Papæ decretalem Altaris officio, aliquando paralisi tactus, ductusque est ad Infirmariam, ubi cum gravi infirmitate detineretur, aliquantulum exinde convaluit, & tamen usque ad mortem suam mutus permansit. Hæc ex præclaro illo Imperialis Monasterii monumento (h).

## WOLVENUS II.

ABBAS XVIII

Interea Rhenaugiæ ex Monacho nostræ Congregationis, id est, Monasterii nostri electus est Abbas *Wolvenus* hujus nominis secundus; qui utrum ad familiam Wolveni primi pertineat, incertum est. Sane ex stirpe Comitum de Kiburg, qui ad Guelphicam gentem referuntur, prodiit hoc ævo *Uto*, seu Otto Abbas S. Blasii, vir celeberrimus (i); qui juvenis unacum Rusteno missus fuerat ad Monasterium Fructuariense, beneficiis Agnetis Imperatricis opportune usus, reversusque severioris vitæ disciplinam non solum suo, sed etiam aliis Monasteriis induxit, successorem nactus eundem Rustenum, haud inferioris meriti virum, antiquissimo libro Confœderatorum Rhenaugiensium ex veteri pacto inscriptum. Fructuariensis porro Monasterii Conditor fuit S. Wilhelmus Divionensis, S. Majoli Cluniacensis Abbatis discipulus; quapropter consuetudines Fructuarienses a Clunicensibus parum distabant. Unde contigit (testibus actis Murenfisibus k) ut Fratres de Cella S. Blasii, quæ antea vocabatur alba de fluvio, qui præterfluit, mutarent suam priorem consuetudinem. Inter alia Monasteria, quæ e S. Blasio eosdem ritus adoptarunt, erat etiam memoratum Murense; quod quidem a sua fundatione, per Ratebotonem Habsburgicum Comitem facta, Coloniam ab Heremitis seu ex Monasterio Einsidlensi acceperat. Verum cum sub Abbate Udalrico, ex Monasterio Disertinensi postulato, nonnihil labefactata esset illa disciplina, Wernerus Comes de Habsburg & Advocatus commendavit Monasterium, prout citata acta pergunt, in potestatem Giselberti

(h) Quod Reverendissimus D. Abbas Georgius II. gratiose iustrandum mihi concessit.

(i) Bernoldus ad a. 1093. Bucelin &c.

(k) Herrgotti Geneal. Diplom. Tom. I. ad calcem.

berti Abbatis (S. Blasii) ac Fratrum ejus, qui huc (nempe Muros) destinati fuerunt, ut & ipsi serarent, & custodirent, & tractarent locum. Mortuo Giselferto anno 1085. Beatus Luitfridus Abbas Murensis effectus est, cui Rupertus anno 1096. successit. Extat in Musæo nostro Codex de Divinis officiis juxta ritum Farsensis Monasterii hoc ipso tempore exaratus.

Cæterum *Wolvenus* noster Catalogo foederatorum S. Gallensi inscriptus, atque ante Ottonem Abbatem positus, sui regiminis ætatem satis luculenter demonstrat. Ante ejus electionem, sed abdicato jam Chunone, Nobilis Matrona *Friderun* cum manu filii sui Marquardi donavit Monasterio, quod dicitur *Rinaugia*, totum prædium, quod in Villa *Eggingen*, quæ sita est in pago prope Ulmam hæreditario jure hæctenus habuit, cum mancipiis utriusque sexus, pratis, pascuis, agris, molendinis, cæterisque pertinentibus; conditione adjuncta, ut tam ipsa Benefactrix, quam filius ejus *Marquardus*, & *Ita* filia in eodem Monasterio præbendas & mansiones secundum morem & consuetudinem cæterorum ibi manentium deinceps habeant. Plures enim Mansionarii adhærebant Monasterio, quorum occasione & foeminarum Cœnobium excreverat. Nihilominus inter Benefactores numeranda *Friderun*, quæ id fecit pro remedio animæ suæ, ac dilecti mariti sui Marquardi, jam pridem defuncti. Extat hodieque Villa *Ekingen* inter Ulmam & Echingen Sueviæ sita; *Friderun* vero Necrologiis nostris inserta ad diem 24. Januarii, & filia *Ita* ad 7. Februarii, cum *Marquardus* filius factus Monachus obiisse notetur die 17. Julii. Data est Charta regnante Domino III. Heinricho Rege, in pago Hegowe, apud *Ramisheim*, id est, *Ramsen*, in Comitatu Udalrici Comitis de Ramesberch, ipso præsentem, & *Gerungo* Comite de *Stuolingen*, qui procul dubio etiam subscripserat Chartæ Schaffhusianæ de anno 1087. Cæterum Abbas nullus exprimitur, sed dicitur duntaxat, a Monasterii Rectoribus & Fratribus possessionem esse capiendam; unde colligitur, eam donationem factam fuisse Chunone jam digresso, sed Wolveno nondum electo.

Monasterium *Schaffhusianum*, pastore destitutum, magna interim calamitas subsequuta est (1). Advocatus enim ipsius loci Comes Adalbertus (m) Munitio-

nem

(1) Bernoldus apud Urstif. ad an. 1098. pag. 376.

(m) In margine apud Urstifium dicitur Comes de Nellenburg, alii vocant de Merspurg, Chronicon Schaff. melius de Kiburg; nam Comites de Nellenburg advocatiam deposuerant, & sequentia Kiburgensem ostendunt.



nem quandam ibi prope firmavit (n) & bona Abbatiae sibi sacrilege vindicavit. Quapropter Monachi cum Crucibus & Reliquiis & Litanis suppliciter ad eandem Munitionem processerunt, sed a militibus Comitis partim occisi, partim vulnerati, sed omnes male tractati domum redire & repedare compulsi sunt, quippe Crucibus & Reliquiis particulatim disruptis, & per campum miserabiliter dissipatis. Tandem post pericula multa Abbas ordinatus est Adalbertus anno 1099. a venerabili Gebhardo Constantiensi Episcopo, & Sedis Apostolicae Legato in Nativitate S. Joannis Baptistae. Ita Bernoldus saepe dictus, Monachus quidem S. Blasii, sed qui ultimos vitae annos in eodem Monasterio Schaffhusiano peregit, ibique mortuus in peristilis ad ingressum Chori ad latus Adalberti Abbatis sepultus fuerat. Modo constructa alia janua hoc monumentum cum multis aliis oblitteratum est. Finiit porro Bernoldus anno 1100. historiam suam, quam prosequutus est post Hermannum Contractum, & Bertoldum Constantiensem. Adalbertus vero Comes, persecutor Schaffhusiani Monasterii, tandem poenitentia ductus in eodem loco Monachum induit, atque rem Ecclesiasticam cum uberrimis Decimis in *Ilnau*, prope Castrum Kiburgense, legavit anno 1120. quae donatio agente Meginrado Comite de Sponheim, genero Adalberti Comitis anno 1127. a Lothario Rege confirmata fuit (o),

Nec minores turbæ in Monasterio nostro Rhenaugiensi exortæ sunt, quando *Arnoldus Comes de Lenzburg* titulo Advocatiæ ab Henrico IV. permissæ Rhenaugiam diverare pergebat, ubi similem Munitionem ad perniciem Monasterii constructam fuisse proxime videbimus. Anno 1101. ad locum Büren, seu Blaubeuken post Azelinum missus est Abbas de conventu Hirsaugiensi Monachus nomine *Otto*, ad regimen animarum satis idoneus, ut testatur Trithemius (p) & conversatione præcipuus, & Divinarum Scripturarum non ignarus, consilio promptus & cautus, in spiritualium conversatione sollicitus, & in administratione temporalium rerum singulari providentia circumspectus. Has dotes præclaras mox Rhenaugiæ conspicuas Otto fecit, ut infra patebit. Anno 1103. Gebhardus Episcopus sede sua expellitur, intruso Arnolfo S. Galli Monacho fratre Henrici Comitis de Monte Sancto, agente Udalrico Abbate S. Galli, causam vero

(n) *Munitio ibi prope sita* alia esse non potest, quam Castellum quod hodie sub nomine *Munoth* Schaffhusii conspicitur.

(o) Rüger in Chronico Schaffhus. pag. 122. - 124. ex Chartis Monasterii omnium Sanctorum.

(p) In Chron. Hirsaug. pag. 268.

vero Gebhardi egregie defendente Theodorico ad Petri Domum Præsule (q). Tot malis ingravescentibus *Wolvenus* noster fatigatus resignatione potius quam morte vacuam videtur reliquisse Abbatiam Rhenaugensem, cum in Necrologio nostro per vetusto sola Monachi nota ad diem sextam Maii afficiatur.

## OTTO, ABBAS XIX.

Anno 1105. Henricus filius Henrici Imperatoris, authore Dodechino (r) quadam nocte de exercitu ejus aufugit, & Sueviam petens a Legato Romani Pontificis Gebhardo Constantiensi Episcopo de excommunicatione absolvitur; ubi Ecclesiasticas res sacras pro tempore ordinavit, & Pastores egregios, dictante Gebhardo, Ecclesiis præfecit; inter quos, ut ipse Henricus in Diplomate postea dato legitur, *Otto* Abbas ipsum locum Rhenaugensem ex ejus concessione legitime obtinuit. Erat enim *Otto* Beati Wilhelmi discipulus pro sua prudentia tanti habitus, prosequente telam historiæ Trithemio (s), ut non solum Abbas unius Monasterii esset jam memorati in Büren, sed etiam administrator fieret alterius Cœnobii, quod *Rinawe* dicitur, qui Venerabilis Pater utrumque Monasterium, in utroque videlicet statu provide & utiliter satis disponendo gubernavit.

Indigebat sane Rhœnugia prudenti Rectore, qui Monasterio undequaque afflicto suppetias ferret, quod egregie præstitit *Otto*. Etenim exauctorato Henrico IV. Kalendis Jan. in concilio Moguntiæ celebrato, præsentente Gebhardo Constantiensi Episcopo (t), ac deinde eodem Henrico die septima Augusti mortuo, cum filius ejus *Henricus V.* destructa Rubiaca Alsatia oppido, Regnum paternum in pace possideret, Præceptum ab eo obtinuit Abbas noster ad Comitem *de Lenzburg* directum, qui advocatiam involaverat, quo jubebatur, ut quæ per subreptionem temporibus Patris ejus utilitati Monasterii contraria facta sunt, corrigantur, legitima jura præstentur, & quidquid bellorum occasione de Monasterio, *Rhœnugia* nomine, beneficiorum distractum & ablatum fuit, Ottoni & Fratri-

(q) Mabill. Annal. Tom. V. pag. 464.

(r) In Appendice ad Marianum Scotum editio. Pistorii pag. 465.

(s) In Chron. pag. 268.

(t) Dodechinus loc. cit. pag. 466.



Fratribus restituatur. Verum cum reparandis damnis insistente Abbate quidam *Suelhart* Lenzburgi Comitum Ministerialis prædium in Hoffstetten, in beneficium ab eo acceptum, restituere renueret; per iteratam querimoniam Otto a Rege alterum mandatum ad præfatum Comitem impetravit, quo jubebatur per fidelitatem jugiter Patri olim Henrico, Ipsique exhibitam, ut dictum prædium ad servitium Fratrum de *Rinowa* redire curaret. Mortuus est porro *Arnolfus* Comes de Lenzburg, nepos *Udalrici* Divitis & *Richenzæ* de Habsburg anno 1110. (u) cujus hæreditas ad ipsius filios *Rudolfum* & *Arnolfum* devolutum est, quorum ille *Tugii*, iste *Badenæ* jura dabat. Post cujus mortem Otto Abbas alium Advocatum Virum non minus probum ac Nobilem *Liutholdum* de *Weissenburg* Cleggovix Dynastam elegit, sub cujus defensione Monasterium haud modicis incrementis invaluit. Castrum *Weissenburg*, anno 1023. a *S. Henrico* Imperatore *Rhenaugiæ* donatum, beneficii aut advocatiæ titulo tenebat. Eodem anno obiit *Gebhardus III.* *Constantiensis* Episcopus, filius pariter ac frater *Bertoldi* primi atque secundi Ducum de *Zaringen*, Ecclesiasticæ Immunitatis defensor acerrimus; cui *Henricus V.* substituit *Udalricum* de *Kiburg* & *Dillingen*, conditorem postea illustris Canonix *Creuzlinganæ*, in eodem loco, ubi olim *S. Conradus* Episcopus hospitale fundaverat, ut liquet ex Diplomate *Henrici V.* Imp. de anno 1125.

Non semper sibi constans fuit memoratus *Henricus*; nam anno 1111. cum *Romam* comitante valido exercitu esset ingressus, investituras a *Pascale II.* repetiit, atque a capto Pontifice unacum corona Imperii extorsit, eapropter anno sequenti in concilio Romano anathemate percussus (x). Unde postmodum novæ turbæ in Imperio exortæ, non sine damno Monasterii nostri; quibus tamen egregie restitit Abbas Otto. Legitur is anno 1113. præfens fuisse inaugurationi Monasterii *S. Petri* in *Nigra Silva*, quod II. Kal. Octobris dedicatum fuit a *Witone* *Curiensi* Episcopo præfente & annuente *Udalrico* *Constantiensi* electo (y), unacum septem Abbatibus *Eppone* ejusdem Monasterii Præfato, *Brunone* *Hirfaugienfi*, *Rusteino* de *S. Blasio*, *Adalberto* *Schaffhusiense*, *Dietergo* de *S. Georgio*, *Ottone* *Rinaugiense*, & *Egenone* *Augustense*. Vocatur in præfenti Instru-

mento

- 
- (u) *Tschudius* in *Chron.* substituit alium *Udalricum*, nos sequimur certiora *Herrgotti* monumenta Part. I. *Geneal. Dipl.* pag. 51.  
 (x) *Sigebertus* *Gemblacensis* apud *Pistorium* pag. 614.  
 (y) Ex Rotulo Authographo Monasterii *S. Petri*, *Schœpflin.* *Hist. Zaringo - Baden.* Tom. V. pag. 48.

mento Otto Rinaugiensis tantum Abbas, omiffa Bûra, ab antiquiori nempe Cœnobio, aut verius, quod Bûrenfem Abbatiam jam resignaffet. Fundata hæc fuerat ante octodecim annos, eamque Otto fecundus Abbas ab anno 1101. re-  
 xerat: verum Rhenaugiam præferens, & huic foli ampliandæ intentus, prio-  
 rem illam dimiffit, cui non morte Prædecefforis, ut exiftimat Bruschius (z), fed  
 refignatione vacanti præfectus eft tertius Abbas Rudigerus. Hodie dictum Mo-  
 nafterium fub nomine *Blaubeuren*, haud procul Ulma diftans, a Proteftantibus  
 occupatur.

Inter hæc Otto Abbas Rhenaugiæ magnificam a fundamentis Monafterii  
 Basilicam extruxerat, cujus idea fupereft, cum ad initium hujus sæculi anno  
 1705. demolita fuerit. Ex Altaris fummi utroque latere duæ exftabant capellæ  
 femirotunda teftudine prominentes, quemadmodum & ipfum Altare medium,  
 fed majori fpacio elevatum. Chorus claudebatur aliis fornicibus, qui tres pa-  
 riter aras tegebant, ex utroque latere patente ad Chorum aditu. Altaria ipfa  
 confecrata erant honoribus Beatiffimæ Virginis Deiparæ, S. Petri Apoftoli,  
 S. P. Benedicti, S. Crucis, S. Michaelis Archangeli, & S. Mauritii Martyris.  
 Navis Ecclefie columnis magnis hinc & inde diftinâta, quibus plures deinceps  
 aræ, ut S. Nicolai, & fanctarum Virginum, præfixæ fuerunt. S. Fintano fpeciale  
 facellum ex latere feptentrionali adjunctum erat, ubi nempe olim inclufus de-  
 vixerat. Ad hujus igitur Basilicæ confecrationem invitatus Udalricus Epifco-  
 pus Constantienfis, cum ipfe confecratus non effet, denegata hætenus a Pon-  
 tifice confirmatione, eoquod Investituram a Rege per annulum & baculum ac-  
 ceptaffet, imploratus eft ad illud officium peragendum Rudolfus Epifcopus Ba-  
 fileenfis, qui XVII. Kal. Decembris anno 1114. Monafterium dedicavit in ho-  
 nore, ut Instrumentum fonat, fanctiffimæ Dei Genitricis Mariæ perpetuæ Vir-  
 ginis, & S. Petri Principis Apoftolorum, Alexandri Papæ & Martyris, Mau-  
 ritii Martyris, & Fintani Confefforis. Peraâta eft igitur confecratio magna cum  
 folemnitate ipfo die Natalitio S. Fintani; quapropter ejus officium deinceps in  
 diem fequentem translatum fuit, loco immobili dedicationi relicto. S. Alexan-  
 dri Pontificis, veteris Patroni, Reliquiæ a Wolveno Reftauratore de Roma, ut  
 dicitur in vita S. Fintani, Rhenaugiam translatae creduntur, cujus corpus at-  
 que S. Hypoliti in locum Alfatiæ, qui ab hoc Sancto nomen habet, anno 756.  
 a Fulrado Abbate S. Dionyfii collocatum fertur. (a)

Y y 2

Insigni

(z) Monaft. German. pag. 19.

(a) Joan. Georg. Eckardt Franc. orient. T. I. p. 557. ex Mabill. Annal. T. IV.



Insigni opere feliciter completo, plures Monasterii Benefactores nactus est Otto Abbas, prout Chartæ hujus ætatis demonstrant. Etenim circa annum 1115. Vir Nobilis *Bertoldus de Flacho* cum manibus Fratrum suorum Rudolphi & Luitholdi, tradidit ad Monasterium Dei Genitricis in *Rinowa* omnem hæreditatem suam, quam habuit in *Ostrolvingin* (Osterfingen) pagi Cleggoviensis, in jus & proprietatem *Abbatis Ottonis* & Monachorum, & in perpetuum eorum successoribus sub conditione, ut deinceps mansionem suam sicut quilibet Monachus ibi habeat. Eodem proposito *Landfridus de Gisingen* in ipso Monasterio Domino *Ottone* Abbate præsentate tradidit hæreditatem suam, quam habuit in *Bodilshufin* (Bolzhausen) & situm est hoc oppidum in pago, quod *Bara* dicitur, juxta Danubium ad Monasterium, quod *Rinova* vocatur. Reperitur posterioribus sæculis prædium istud nomine feudi quibusdam Nobilibus Vasallis concessum. Alius pariter Vir Nobilis *Arnoldus de Guotmuodingen* simile prædium in eodem loco Bolzhausen Rhenaugiæ donavit, additis pluribus aliis in *Willaco* (Bülach) pagi Zurigoviensis oppido, quibus adhuc fruitur Monasterium, pacto adjuncto, ut post obitum ejus in anniversario suo Fratribus servitium detur; eapropter cum supra memoratis Benefactoribus antiquis nostris Necrologiis adscriptus.

Circa idem tempus Otto denuo restauravit fœdus Fraternitatis cum Monasterio *S. Galli*, interruptum per diutissimum regimen Udalrici Abbatis & Patrarchæ Aquilejensis, qui jugiter partibus Henrici IV. adhærebat, cum ab eo Marquardus ejus Pater, & Leopoldus Frater, exautorato Bertoldo de Zaringen, Ducatum Carinthiæ obtinuissent. Udalrico decedente anno 1117. (b) cum Henricus V. Imperator quendam pariter Henricum de Tuello vocatum Abbatæ Sangallensi præficere conaretur, Conradus Dux Zaringensis filius Bertoldi sua protectione prævalere fecit, electionem Mangoldi (c) *de Manbüren* seu Mammeren, quæ Dynastia nunc pertinet ad Rhenaugiam. Transmisit Otto Sangallensibus inscribendum Libro fœderatorum nomen Prædecessoris sui *Wolveni II.* cum nominibus Monachorum, Converforum quoque, & Monialium, quæ mirifice conveniunt cum Necrologiis nostris, uniceque dolendum, quod Catalogus iste Sangallensis successivis temporibus scriptus cum Successore Ottonis Diethmaro, expiret. Converforum numerus ferme superat reliquos Monachos, quorum opera, procul dubio [Otto usus est ad exemplum B. Wilhelmi ad novæ Basilicæ constructionem.

Anno

(b) Vadianus apud Goldast. Herrgott in notis. Item Stumpfius in vita Henrici IV. p. 85.

(c) Tschudius in Chronico Helvetico.

Anno 1120, Udalricus Episcopus Constantiensis, qui à Pontifice Gelasio, Paschalis Successore confirmatus fuerat, obtinuit apud Calixtum II. ut *S. Conradus* Prædecessor ejus, olim Monasterii nostri Conservator, Sanctorum factis adscriberetur; cujus rei gestæ tenorem, unacum vitæ compendio, per memoratum Udalricum conscripto exhibet Mannlius (d). Hujus Sancti festum statim Calendariis nostris insertum, Ecclesia vero ad initium sequentis sæculi ipsius honoribus consecrata est.

Eodem anno frustra pace tentata Henricus V. denuo a Calixto II. separatur a cœtu Fidelium (e). Reconciliatur tamen Erlongo Episcopo Herbipolensi, cui iratus anno 1116. Ducatum Franconiæ ademerat, Conrado Alemanno collatum, ut testatur Chronicon Urspergense. Hujus Episcopi consiliis Henricus inter alios *Ottonem Abbatem* nostrum multis malis affecit, erga Monachos quoque Rhenaugienses, illorumque Ecclesiam fecit, ut verbis ipsius Henrici utar, quod nec Deo nec bonis hominibus placere poterat, dempta administratione libera temporalium, permissaque Advocatia Comitibus de Lenzburg, quidquid contra niteretur Abbas cum legitimo Advocato de Weissenburg.

Nihilominus agentibus Imperii Proceribus tandem pax firma inter Sacerdotium & Imperium coaluit, Concilio primum Romæ, deinde Comitibus Wormatiæ celebratis die 23. Octobris anno 1122. (f) Ubi Imperator Investituris per anulum & baculum renuntians, retinuit jus Regalia per sceptrum imperiendi. Unde Henricus Ecclesiis juxta promissa satisfacere cupiens, Epistolam plenam benevolentiae sequentis tenoris Rhenaugiam destinavit. „*Henricus Dei* „gratia Romanorum Imperator Augustus, Rhenaugiensi Abbati, totique ejus „Congregationi salutem, & gratiæ suæ plenitudinem. Nos, qui Ecclesiarum „defensores esse debemus, crebra petitione Episcopi E. (g) devicti, erga vos, „vestramque Ecclesiam fecimus, quod nec Deo, nec bonis hominibus placere „scimus. Sed quia humanum est peccare, diabolicum vero perseverare, fatentes peccasse, indulgentiam petimus nobis, præfatique Præsulis animæ; & ea „ratione concedimus atque jubemus, vos pristina uti libertate.“ Hoc Regis mandato remotis ab Advocatia Comitibus de Lenzburg, *Luitoldus de Weissenburg* resti-

- 
- (d) Aliam vitam *S. Conradi* scripsit Anonymus Weingartensis ad calcem Historiæ Guelficæ.  
 (e) Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum apud Pistorium pag. 618.  
 (f) Albertus Stadenis hoc anno. Citatus Robertus pag. 619. refert ad annum sequentem.  
 (g) Erlongus Herbipolensis.



restitutus Monasterii Advocatus, concambium cum Ottone Abbate celebravit, cui prædium in *Wizwilæ* cum omnibus pertinentiis tradidit, & vicissim accepit, quidquid Monasterium in Alpigove, in loco *Burgilun* (Bürglen) & in pago Hegove in Villa *Morinshufin* (Merishausen) possedit.

Anno 1124. Insignis Benefactor *Bernardus de Griefsheim* tradidit Monasterio Rinova quidquid hæreditario jure habuit in Villa *Griefsheim*, cum Ecclesiastica donatione, & ejus legitima Advocatia; nec non prædia quædam in *Riuti* pagi Cleggoviensis, & in Villa *Spreitinbach* Zurigoviensis pagi. Facta est hæc donatio in præfato Monasterio coram multitudine populi & *Liuthone* ejusdem Monasterii Advocato, & Notkero fratre ejus de Wizinburg, & Gerungo, & ejus fratre Liutholdo de Stuolingen. Factus est deinde Monachus Rhenaugiæ *Bernardus de Griefsheim*, antiquis nostris Necrologiis ad diem 13. Maji adscriptus. Legitur in iisdem ad diem 26. Novembris: *Otto Abbas nostræ Congregationis*, cujus obitus eodem anno 1124. contigit, postquam per viginti ferme annos Monasterium nostrum præclare rexisset, atque tam in disciplina Regulari, quam in rebus Domesticis plurimum profuisset.

## DIETHMARUS,

ABBAS XX.

Post obitum Ottonis non impar meritis suffectus est *Diethmarus Abbas*, qui Rhenaugiæ Insulam contra sævientes fluctus sustineret. Obiit sequenti anno 1125. die 23. Maji Henricus IV. Imperator, sed hujus nominis quintus Rex, pro quo (ut ait Dodechinus h) Lotharius Dux Saxonie III. Kal. Septembris Moguntie constituitur, & Kalendis Septembris Aquisgrani coronatur a Friderico Coloniensi Archiepiscopo. Ast *Diethmarus Abbas* novas præsentens turbas, quas moturi erant Proceres in Imperio adhærentes Conrado, Henrici Imperatoris ex sorore Agnete nepoti, filio Friderici Monoculi Alemannie Ducis, neoelectum Regem *Lotharium* imploravit, quatenus præcepta & conscriptiones ab antecessoribus suis pro Monasterio, quod *Rhenaugia* nuncupatur, editas sua confirmatione corroborare dignaretur; quod & fecit, *sanctum locum* cum omnibus extrinsecus & intrinsecus sibi cohærentibus sub Imperiali tuitionis immunitate suscipiens, ut ab omni alienæ inquisitionis seu exactionis molestia securus per-

---

(h) Apud Pistorium pag. 470.

permaneat. Exprimit singulariter privilegium libere eligendi Abbatem secundum Regulam S. Benedicti, & Advocatum, qui nullum sibi substituat, sed ita se gerat, ut si Abbati displicuerit, loco cedat, & alius, qui melior ei visus fuerit, succedat. Abbas quoque Ipse nulli extra familiam Ecclesiæ aliquod beneficium præstet. Denique donationem *Bernardi de Griefsheim* nuperius factam conceptis verbis repetit, atque confirmat. Subscribitur Diplomati Embrico Archidiaconus & Præpositus Erfordiensis, postea ab anno 1128. Episcopus Herbi-poli, ad vicem Archicancellarii Adalberti Moguntinensis Archiepiscopi, qui præcipuus in electione Lotharii auctor fuerat. Datum III. Nonas Novembris anno 1125. Regni ejusdem Serenissimi Regis Lotharii primo, Wormatiæ, quam urbem, alias ipsius Familiæ propriam, deinceps Imperialem fore & liberam constituit.

Eadem tempestate insignis Benefactor *Liutholdus de Weissenburg* Monasterii Advocatus, morti proximus, bona sua Monasterio legavit. Etenim legitimo hærede cassatus, ut inquit, Deum hæredem possessionum suarum constituens, tradidit ad Monasterium Dei Genitricis, in loco *Rinowa*, quidquid hæreditario jure possedit in pago Cleggowe, in locis his nominibus: videlicet *Arzingin*, *Wizinburg*, *Wizwilo*, *Ruodelingin*, & *Buochberch*, cum omnibus ad ea pertinentibus, scilicet hominibus utriusque sexus *Militaribus* & *Rusticanis* (i) vineis & pomariis, silvis, venationibus, molendinis, piscationibus &c. Equidem ex hac donatione Jurisdictio directa hodieque in Vicis Ruedlingen & Buchberg spectat ad Monasterium, cum censibus annuis. Hoc anno obiit *Rustenus* Abbas S. Blasii, pro veteri foedere Necrologiis nostris insertus XII. Kal. Octobris. Sequenti vero anno 1126. cum structura novæ Ecclesiæ in *Martelen* Rhenaugiæ subjectæ, quam Filialem vocant, ad finem perducta esset, eam Diethmarus Abbas die 16. Maji ab Episcopo Constantiensi Udalrico de Kiburg consecrari petiit, & impetravit, ad honorem SS. Galli & Antonini, cujus dedicationis memoria in Monasterio nostro quotannis celebrabatur.

Imminebat interea gravis procella Monasterio Rhenaugiensi a Rudolfo Comite de Lenzburg, qui sicut Monasterio Einsidlenfi cum Suitensibus adversabatur, ita post mortem Liutholdi de Weissenburg Advocatiam Rhenaugiæ, toties majoribus suis ereptam, denuo usurpare tentabat. Quapropter Abbas Diethmarus summi quoque Pontificis protectionem implorans ab *Honorio II.* eodem

anno

(i) Quibus significatur jus armorum, das Mannschafft Recht.



anno 1126. confirmationem jurium & immunitatum Monasterii impetravit. Data enim Bulla *in perpetuum* non solum Diethmaro sed & omnibus ejus successoribus, corroboravit Rhenaugiæ, quæcunque legitimis Fidelium donationibus hactenus acquisivit, ac in posterum acquisitura foret. Vetat quoque sub Divini interminatione Judicis, ne ullus hominum idem Monasterium perturbare, ejus possessiones minuere, aut in beneficium dare audeat; subjuncta facultate eligendi Abbatem & Advocatum. Data Bulla Lateranis VI. Kal. Martii anno memorato.

At vero *Rudolfus Comes de Lenzburg* non solum Comitatum Cleggovix obtentu Advocatiæ Rhenaugiensis involaverat (k), sed etiam constructo *Castro* in loco Rhenaugiæ totam Peninsulam cum transitu Rheni munire cœpit. Nomine vero *Castri* non solum turrin cum Castello in aditu Peninsulæ, sed etiam oppidum ipsum intelligi, ex sequentibus perspicue liquet (l). Includebatur itaque Monasterium undique, atque proventus ex utraque parte intercipiabantur. His in angustiis Diethmarus Abbas *Lotharium* Regem adiit, ab eoque mandatum obtinuit, quo vetabatur Comes, ne Monasterium ultra infestaret, aut Fratribus annonam detineret. At non segnior *Rudolfus* Regem perverfis suggestionibus, falsisque allegatis, animo a Diethmaro avertit, quo ne audito quidem, Rex præcipiendo Abbati succensuit, quod aliter, quam res haberet, causam suam illi proposuisset, atque contrario edito præcepto Comiti titulo Advocatiæ Monasterium, Rhenaugiam vero muniendam, obtentu tuendæ Regis causæ permisit. Quæ omnia cum sequentibus in Litteris & Chartis ultro citroque datis referuntur (m).

Accidit eodem tempore ut *Gregorius* Presbyter Cardinalis ab Honorio in Germaniam pro sedandis motibus, ac fovenda Lotharii electione (quam contra Sueviæ Duces Pontifex tuebatur) haud procul Rhenaugia pertransiret; quem Diethmarus occupans, sub multorum testimonio, libertatem Ecclesiæ in electione Advocati, & ipsius loci Jurisdictione demonstravit. Quapropter idem Cardinalis, litteris ad Regem datis, humiliter supplicando suggestit, ut quod prius juste contra Comitem mandaverat, mutare non velit, quatenus eorundem Fratrum, qui Religiosi sunt, ut inquit, & Deum timent, orationes merito ha-

bere

(k) Latius de Migrat. Gent. ad an. 1120. pag. 521.

(l) Du Cang. *Beatus Rhena. Rer. German. Lib. III. pag. 251.*


(m) Quasdam edidit Herrgottus *Geneal. Diplom. Tom. II. Num. 200. 202. 203. 204.*

bere possit. Ad ipsum vero Comitem Rudolphum aliam Epistolam idem Cardinalis scripsit, vehementer adhortans, ut ab Ecclesiæ Rhenaugiensis infestatione omnino desistat, & debitam libertatem eam habere permittat, ne contra privilegium Romanæ Ecclesiæ faciendo anathematis sententiam merito incurrat. Verum Rudolphus minas excommunicationis contemnere assuetus, ab invasione præacta nullatenus destitit. Unde ad ipsum Pontificem *Honorium* recurrere coactus Diethmarus, duplex pariter mandatum ab eo impetravit. In priori, quod datum est die septima Aprilis anno 1027. mandat Pontifex Udalrico Constantiensi Episcopo, ut Rudolphum Comitem de Lenzburg diligenter admoneat, quatenus ab infestatione Monasterii Rhenaugiæ desistat, & in antiqua & concessa sibi libertate dimittat; quod si parere contempserit, debitam de eo Justitiam faciat, id est excommunicationis sententiam in eum denuntiet. Ut autem Rudolphus monitis Episcopi faciliores aures præberet, *Honorius* ad eum ipsum alterum mandatum direxit, quo ipsum redarguit; quod contra Nobilium consuetudinem Monasterium Rhenaugienſe multis gravaminibus infestare, atque in ejus fundo Castrum ædificare præsumpserit. Quapropter præcipit, ut a tanta præsumptione desistat, & præſatum Monasterium in antiqua, & ab ipsis Imperatoribus concessa libertate omnino dimittat. Quod si contemptor extiterit, canonicam sententiam, quam in illum Udalricus Constantiensis Episcopus dedit, ratam se habiturum minatur.

Sed enim Udalrici obitus eodem anno interveniens impedimento fuit, ne mandatum Pontificium executioni mandaretur. Udalricus quoque II. de Castell Monachus S. Blasii, Udalrici I. in Episcopatu Successor, mox anno sequenti 1128. gravibus turbis implicatus erat, ut adeoque satis urgere præcepta Pontificis haud potuerit. Obsedit enim cum magno exercitu Constantiam Henricus Dux Bavarix Frater Guelphi; quo periculo pecuniis redempto, Rudolphus Comes Brigantinus (n) infesta arma, præsertim in Monasterium Petri Domus intulit, atque Udalricus, cum destructa arce Castell prope Constantiam in Turgovia sese exosum reddidisset, post decennium ad S. Blasium reversus anno 1140. pie obiit. Itaque Lenzburgi Comes Rudolphus cœpto operi insistens, & oppidum & arcem Rhenaugiæ perfecit, frequentem deinceps Advocatorum sedem, ex qua nunquam non innumera mala illata sunt Monasterio. Perſiterunt tamen perpetuo

Abba-

(n) Mannlius in Chron. Const. apud Pistorium pag. 668.



Abbates nostri, ut premi quidem, at opprimi nunquam potuerint. Post tria tandem Sæcula anno 1449. agente Eberhardo II. Abbate, a Schaffhusianis, inter discordias contra Comites Sulzenses, invisa arx destructa fuit (o), cujus rudera adhucdum ad superiorem oppidi portam supersunt.

Permittendum itaque fuit *Rudolfo de Lenzburg* Advocatiæ munus, atque cum eo, interveniente Regis Lotharii auctoritate, paciscendum. Cujus transactionis fundamentum in Ludovici Germanici Diplomate de anno 858. repositum, quo Wolveni Restauratio firmatur. Additæ sequentes conditiones: Ut censales Homines Rhenaugiensis Ecclesiæ ab Abbate simul & Advocato judicentur, a nullo vero alio Comite vel Sæculari Judice regantur, neque Bannum alteri perfolvant, sed nec ab Abbate cuiquam in beneficium concedantur. Quicumque autem aliqua temeritate hæc pacta violaverit, aliquod judicium alibi quærendo, justo sociorum judicio ad justitiam constringatur, allode amittendo & LX. solidos majoris monetæ præfatæ Ecclesiæ perfolvendo.

Dum Rudolfus Comes oppidum Rhenaugiæ perficit, Abbas Diethmarus alteram Ecclesiam filialem in *Rüedlingen* anno 1130. absolvit, quem vicum nuper cum aliis a Liutholdo de Weissenburg dono acceperat. Dedicationem peregit Udalricus II. Episcopus Constantiensis VII. Idus Maji in honorem S. Margarethæ Virginis & Martyris, cujus memoria prædicta die in Chori nostri directoriis antiquis occurrit.

Hac tempestate nonnulli Benefactores quædam bona Monasterio nostro in *Alfatia* tradiderunt, quorum Donationis Chartam Tetharius Monachus Rhenaugiensis & Notarius scripsit (p). Etenim *Burchardus de Munzenhem* & *Uxor ejus Hazicha* S. Mariæ & Congregationi Rhenaugiæ dederunt, quidquid proprii habuerunt in *Rubiaca*, & agrum in *Herinheim*. Alter Benefactor *Adelhelm* & *Uxor ejus Renza* dederunt eidem Congregationi decem Scazza & unum Jugerum. *Sigexo* & *filiis ejus* dederunt undecim Scazza, & duo Jugera, & duas Perticas, & Domum eidem Congregationi. Denique *Elenza* dedit tria Scazza. Scripsit & subscripsit memoratus *Tetharius*. Porro nomina, ubi sita erant bona ista præter *Rubiacam* seu *Rufach* exprimuntur in alio authentico instrumento, nimirum

(o) Herrgott Geneal. Dipl. Tom. II. pag. 146. in notis.

(p) De his agunt Schœpflinus in *Alfatia Diplomatica*, & Abbas Grandidier in *Historia Episcopatus Strasburgensis*.

rum *Alschweiler, Sultz, Wulfersheim seu Pulfersheim, & Isenheim*. Alios Benefactores, quorum bona aut res donatæ non exprimuntur, omittimus, quorum tamen nomina antiquis Kalendaris nostris adscripta sunt.

Anno 1136. finem vitæ ac persequutionis Monasterii fecit *Rudolfus Comes de Lenzburg*, relictis tribus filiis *Udalrico, Humberto, & Rudolfo*, quorum primus *Udalricus* non solum Fratres, sed etiam Patruelles suos omnes vita defunctos vidit, totamque *Lenzburgensium* hæreditatem collegit. Verum & ipse improlis consobrinæ suæ *Richenzæ* ac *Comiti de Kiburg* relinquere sua coactus est. *Rudolfus* ejus frater, qui in Charta *S. Blasii* de anno 1150. in qua agitur de Monte *Stouphen* in *Alpegove*, dicitur illius provinciæ Comes (q), non minus quam Pater ejus usurpator *Advocatiæ Rhenaugiensis* fuit. Fœderatus *Suitensibus, Urariis & Subsylvanis* prima semina Fœderis *Helvetii* posuisse visus est. Ejus Patris conditoris *Castrum Rhenaugiensis Arnolfus* Frater quatuor pariter genuit filios cum filia *Richenza*; illi omnes improles decesserunt, ista *Lenzburgicum Comitatum* attulit Marito *Comiti de Kiburg* (r).

Anno 1137. *Lotharius* Imperator in Italia rebus prospere & magnifice gestis revertitur (s), & apud *Castrum* quoddam *Bavariorum Ducis III. Kal. Decemb.* vita defungitur. Sequenti anno conventu Principum apud *Confluentiam* facta, *Conradus* *Henrici V.* ex *fore* *Nepos*, frater *Friderici Ducis Alemanniæ*, Rex constituitur. Huic cum se inter alios opponeret *Conradus Dux Zaringiæ*, *Fridericus* juvenis *Regis nepos*, *Turegum* obsidione cinxit, & ad officium *Zaringensem* reduxit. Erat *Conradus* de *Zaringen*, filius *Bertoldi II. Advocatus S. Blasii* a *Rusteno Abbate* quondam electus (t), etiam *Rhenaugiæ* expetitus, si *Lenzburgensibus* *Friderici* amicis prævalere potuisset. *Guelphi* porro *Bavariæ & Saxoniam* imperantes gravissimum bellum hac ætate *Conrado Regi* intulerunt, in quo pessimæ illæ *tesseræ Guelphorum atque Gibellinorum* in diutissimam plurimorum perniciem ortæ fuisse traduntur (u).

(q) Apud *Herrgott* Tom. II. Charta 227.

(r) Idem Tom. I. pag. 50. *Geneal. Diplom.*

(s) *Dodechinus* hoc anno.

(t) *Schœpfl. Histor. Zaring.* Tom. I. pag. 99.

(u) *Trithem.* in *Chronico Hirfaug.*



Obiit tandem anno incerto strenuus defensor Monasterii *Diethmarus* Abbas, qui contra inimicorum Castra, solo pecuniarum munitus subsidio, invictum reddidit Monasterium. Constantiæ quoque *Udalrico II.* susceptus est (x) anno 1140. *Hermannus de Arbona* secundus Monasterii ad Scotos Fundator, quem ultimum ex Clericis seu Canonicis fuisse perhibent, qui vitam communem in Cathedrali Ecclesia percoluerant.

## OTHMARUS,

ABBAS XXI.

Rhenaugiæ hoc tempore præesse cœpit *Othmarus*, cujus insignem pietatem in exornandis Sanctorum *Lypsanis* demonstrat *Magnum Sacrophagum*, quod haud vulgari arte ultra centum Sanctorum Reliquias continebat, ab eo fieri curatum a. 1143. *Conradum Imperatorem* anno 1146. *Ulmæ* versantem mense Julio adiit, opportuna occasione usus, supremam ejus protectionem, præsertim contra *Lenzburgernsium Comitum* oppressiones, imploraturus; quam feliciter impetravit pro *Rhenaugia* simul, ac pro *Monasterio Interlacensi* *Canonicorum Regularium* secundum Regulam *S. Augustini*, *Episcopatus Lausanensis*, in *Comitatu Burgundiæ*, quod paulo ante fundaverat vir quidam *Nobilis Seilgerus de Oberhoven* sub confirmatione *Conradi Ducis de Zaringen Burgundiæ* præfecti. Huic *Foundationi* addidit pius *Imperator* ex propriis quoque bonis dotationem, atque *Diplomati* dato XII. Kal. Aug. adhibuit testes *Hermannum Constantiensem Episcopum*, *Othmarum Abbatem de Rinaugia* (y), *Fridericum Ducem Suevorum*, præter alios *Comites & Nobiles*. Sequenti anno 1147. prædicto Duce, *Fratre suo*, mortuo ejus *Filio cognomini Ducatum* concessit (z), ac pariter cum ipso cruce signatus *Jerosolymam* adiit. Præterea *Welfus Dux*, *Henricus Dux Noricorum*, & multi alii *Principes & Episcopi*, cum innumerabili exercitu eandem viam aggressi sunt. *Venerabilis enim Pater Bernardus* virtute verbi, miraculorum comitante gloria, totam *Galliam & Germaniam* peragravit, & ad expeditionem *transmarinam* accendit. Quo in itinere viciniam nostram iustrasse fertur, atque *Basileam*, *Schaffhusium*, *Steckboren*, *Constantiam*, *Vitodurum*,  
Ture-

(x) *Mannlius* pag. 668. *Bucelin* ad a. 1167.

(y) *Charta* apud *Schoepflin*. *Histor. Zaringo-Badenfi* Tom. V. pag. 88.

(z) *Otto de S. Blasio* apud *Urftif.* pag. 197.

Turegumque divertisse. Verum altero mox anno Conrado Rege repatriante pristina cum Welphonibus bella recruduerunt.

Horum præcipuus eodem tempore Bavarix Dux atque Saxonix, Frater Welphi, nihilominus in avitis possessionibus haud procul Rhenaugia, in loco *Ittingen* Ecclesiam S. Laurentio sacram condidit; cujus Ministeriales Truchfessii Adalbertus, Bertoldus, Udalricus, & Gelphrandus, paucis interjectis annis Cœnobium Canonicorum Regularium adstruxerunt, vitamque Regularem amplexi sunt; Adalbertus quidem Sacerdos & primus Præpositus factus; Gelphrandus vero Frater tantum conversus, fortasse ex litterarum defectu, facultatem a supra dicto Duce anno 1155. in Aste civitate Lombardiæ impetravit, ut quoscunque fundos oblatos recipere liceat (a). Cessit mox Welpho Henrici frater Advocatiam Ecclesiæ in *Islingen* (b), ipsumque Monasterium Wenero Abbati S. Galli, qui alterum Cœnobium Monialium Ordinis S. Benedicti, haud longius duraturum adjecit (c). Jus confirmandi Præpositum Abbati S. Galli reservatum fuit, quod hætenus Carthusiani agnoscunt: Chartæ vero istius Foundationis Dominia Welphorum in his partibus luculenter demonstrant, cum eadem ex Protoparentum hæreditate derivata fuisse testantur. Pervenit Advocatia hujus Monasterii postmodum ad Comites de Kiburg, deinde ad Rudolphum I. Cæsarem, ac postremo anno 1468. ex consensu Sigismundi Archiducis Austriæ, ad Helvetios, cum ordo Carthusianorum ex quibusdam Cœnobiis in Hungaria per Turcas pulsus, locum ipsum perfoluta pecunia comparasset.

Anno 1151. Conradus Rex moritur, cui sequenti anno successus fuit Fridericus ex fratre Nepos Dux Suevorum, natus Juditha, memorati Henrici atque Welphonis sorore. Erant enim duæ in Romano orbe, prout in gestis hujus Friderici I. Imper. loquitur Otto Frisingensis (d), apud Gallix Germanixque fines famosæ familiæ: una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altorfio, quorum dissidentiam unire cupientes, caput Regni Fridericum constituere Principes adjudicaverunt. Ei Basileam adventanti occurrit

Z z 3

Udal-

- 
- (a) Charta apud Herrgottum, ubi error in notis obrepfit. Tom. II, Num. 232.  
 (b) Diploma in Cartusia Ittingensi ex Archivo S. Galli.  
 (c) Burchardus apud Goldast. Cap. 9. pag. 71.  
 (d) Editione Urstifii pag. 447. Cap. 11.



*Udalricus de Lenzburg*, a multis annis arcta amicitia junctus (e) quem proximo anno ex Conventu Constantiæ habito ad Ludovicum Galliæ Regem ablegavit (f). Tum corona Imperii Romæ accepta, cum Constantiam rediisset, V. Kal. Sept. anno 1155. amplissimo Diplomate fines vastissimæ Diœcesis, olim a Dagoberto Rege positos, unacum latifundiis confirmavit (g). Quibus accensebatur Castrum Lauffen, supra Majores cataractas Rheni positum, quod paulo ante Conradus Dux de Zaringen occupaverat, edicto tamen Cæsaris Hermanno Episcopo restitutum. Ad meliorem tandem vitam transiit Othmarus Abbas noster anno 1157. aut sequenti, die incerta, recentioribus Necrologiis nostris tempore mutatæ Religionis Sæculo decimo sexto, haud exiguo historiæ damno laceratis.

## DIETHELMUS DE OTHWILARE,

ABBAS XXII.

Orbati Fratres de Rinaugia, ut perhibet vetus Manuscriptum, Abbatem sibi eligunt *Diethelmum de Othwilare*, qui bonis pollens moribus in Monasterio S. Blasii Majoris Prioris officium gerebat, & tam in exterioribus, quam etiam in spiritualibus negotiis se utilem præbuerat & aptum. Cæterum religiosa ac nobili ortus profapia, in primæva juventute a parentibus suis ad S. Blasium ad serviendum Domino fuit adductus, & cum magna dote prædiorum oblati. Habebat ibidem Fratrem *Mangoldum* nomine, qui postmodum fenex anno 1186. Abbatiam ejusdem Monasterii est consequutus. Cum porro hæc electio a Fratribus Rhenaugiensibus facta, seu potius postulatio, majori indigeret auctoritate, imploratus Hermannus Constantiensis Episcopus suam impendit operam, atque mense Martio anno 1158. Ulmæ agente Friderico Imperatore (h) unacum Comite de Lenzburg, qui se pro Advocato Rhenaugiæ gerebat, Fratrum postulata exhibuit, atque pro illorum desiderio impetravit, ut Regali præcepto Diethelmus illis præficeretur. Itaque Episcopus Ulma Rhenaugiam digressus, ipse novum Abbatem ibidem instituit; atque in eodem loco pridie Idus Aprilis litteris publicis Monasterium Monialium

(e) Tschudius in Chronico Helvetico ad hunc annum.

(f) Otto Frisingens. loc. cit. pag. 483.

(g) Merkius in Historia Episcop. Constant. p. 148. & 150. ubi integrum Diploma exhibet.

(h) Charta apud Tschud. in Chron. hoc anno.

lium in Beraw, & Ecclesiam in Hochenschwanda S. Blasio confirmavit (i). Cæterum *Diethelmus* non solum rem domesticam, sed etiam Monasticam Disciplinam magno zelo administrasse fertur.

Eodem anno Fridericus a Mediolanensibus multis injuriis affectus, in ipsos arma convertit (k), inter alios auxiliaribus Helvetiorum copiis usus, atque *Udalrico de Lenzburg* strenuam navante operam (l). Detinuit illud bellum diutius in Italia Imperatorem, maxime postquam sequenti anno 1159. creatis in Schismate duobus summis Pontificibus, Fridericus adhæsit Victori III. Legitimo Pontifice Alexandro itidem tertio in Concilio Papiensi perperam rejecto, qui pariter Cæsarem communione Fidelium privavit (m).

At Vir Venerabilis *Diethelmus* Abbas tribus in regimine annis expletis, cum ad extremam vitæ lineam delatus esset, sacro unctionis oleo, & Dominici Corporis Sacramento se munivit, dieque sancto Palmarum, qui eo anno, nimirum 1161. quinto Idus Aprilis existit, hora tertia, cum jam ab omni Ecclesia Domino ad passionem tendenti cum psalmis obviam progreditur, & ipse carnis ergastulum egressus, cum palma victoriæ præmium vitæ, & immortalitatis coronam a Domino percepit. Et hæc quidem totidem pene verbis ex antiquo archivi nostri monumento relata sunt.

## HENRICUS I.

### ABBAS XXIII.

Post *Diethelmum* Abbas Rhenaviæ electus *Henricus* hujus nominis primus, quo præsidente, cum Dux *Welpho* auxiliaribus copiis a *Bertoldo de Zaringen*, & *Alberto de Habsburg* instructus, anno 1163. arma intulisset *Hugoni* Palatino Tubingensi Comiti *Montfortio*, graviter cæsus fuit, & avitæ *Welphorum* possessiones in Suevia & Helvetia per accitos ex Bohemia *Barbaros* vastatæ fuerunt (n). Reconciliatæ tamen edicto Cæsaris partes, & *Welphoni* præstita satisfactio fuit.

Obiit

(i) Charta ex Archivo S. Blasii.

(k) Dodechinus hoc anno.

(l) Tschudius in Chron. pag. 83.

(m) Otto de S. Blasio Cap. 13.

(n) Chron. Weingart, apud Canif. pag. 205. Otto de S. Blasio ad a. 1164.



Obiit sequenti anno 1165. Hermannus I. Episcopus Constantiensis, in cuius locum successit Otto de Habsburg Wernerii filius, qui Ecclesiam SS. Felicis & Regulæ III. Kal. Julii anno 1167. Rhenaugiæ consecravit; evidenti testimonio, Ottonem jam tunc Episcopali munere functum fuisse, quod plerique male inficiantur. Construxerat eam Ecclesiam Henricus Abbas in area Insulæ nostræ ex adverso Basilicæ Monasterii, ibique pars populi sacra audiebat; nam in Castro seu oppido superiori a Lenzburgensibus munito separata exstabat Ecclesia Parochialibus muniis destinata. Circa idem tempus aliæ duæ Ecclesiæ, quas Filiales vocant, consecratæ fuerunt, una in Altenburg ad honorem S. Jacobi Apostoli die 20. Julii, altera in memoriam Apostoli alterius in Bechinhoum seu Bencken die 8. Maii, ut monumenta nostra tradunt. Obiit porro Otto Episcopus 1169. Successorem nactus Bertoldum de Kysnach, quem alii de Busnang scribunt (o).

Anno 1172. finem familiæ, Monasterio nostro tam infestæ, extremo fato fecit *Udalricus de Lenzburg*, cuius hæres quoad bona allodialia Richenza fuit, de qua supra egimus, Hermannus Comes de Kiburg nupta; nam Comitatum Lenzburgensem cum aliis feudis Imperialibus Fridericus Imp. ipse sibi retinuit, inter quæ Advocatia Monasterii nostri Rhenaugiensis, uti & Fabariensis, atque Beronensis numeratur (p); cuius postremæ Ecclesiæ Fundatores Lenzburgici fuerant. Destinaverat Cæsar præfecturas istas filio suo Philippo (q); Ottoni enim alteri filio Burgundiam ulteriorem cum Comitatu Lenzburgico cesserat. Advocatiam Monasterii Leconiensis Albertus Comes de Habsburg obtinuit, quam memorati Comites exercebant (r). Ita tandem cum exitu Sæculi IV. a condito Monasterio Libertati atque Imperio reddita fuit Rhenaugia; quam vel ideo Cæsar magni fecit, quod Advocatiæ Rhenaugiensi præfectura notabilis ditionis, cis & trans Rhenum positæ adhæreret. Pax quoque reddita inter Sacerdotium & Imperium, quando Fridericus, capto a Venetis filio suo Ottone anno 1177. reconciliari coactus est Alexandro III. Pont. Max.

SÆCU-

- 
- (o) Mannlius apud Pistor. pag. 668.  
 (p) Apud Herrgott Chart. 236. & 242.  
 (q) Otto de S. Blasio Cap. 21.  
 (r) Charta apud Herrgott 260.